



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 2. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

est eadem indivisibilis essentia cum essentia Patris, & Filii, & indivisibiliter identificata realiter cum Filiatione, terminaverit Unionem hypostaticam ratione formali filiationis, quin eam unionem terminaverit Pater, & Filius, qui sunt idem DEUS, habentque secum identificatam totam Divinam essentiam, quæ est tota indivisibilis essentia Filiationis; hanc enim summam DEI magnitudinem intellectus creatus absque captivitate, & viribus solius naturæ relictus, nedum ostendere, aut positivè probare, verum neque suspicari possit, ut faciliè constabit cuique expendenti magnitudinem Sacratissimi Mysterii Trinitatis; ergo &c.

15. Probatur 2. Intellectus creatus consideratus absque ipsius captivitate, & viribus solius naturæ relictus, absque ullo dubio, suspitione, aut formidine de opposito censeret principium istud, *quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*, reverà se extendere ad omnia prædicata tum creata, tum Divina; censeret enim fore contradictionem quàm maximam in eo, quòd res aliqua indivisibilis, esset indivisibiliter ista, & non esset, quiddid est ista. Unde sicut dari non possunt prædicata reverà contradictoria, neque in creatis, neque in Divinis; ita quoque censeret, quòd principium illud non possit non verificari tum in omnibus prædicatis creatis, tum in omnibus prædicatis Divinis; unde licet id erroneè deduceret; at intellectui creato considerato absque ipsius captivitate, & solis viribus naturæ relicto hoc evidens appareret, imò quòd magis perspicax est, ut intellectus Angelicus, majorè proflus inveniret difficultatè considerando, quid sit indivisibilitas; atqui ad suspitione de Mysterio Incarnationis, ut defacto contingit, opus erat suspicari, non esse idem inter se, quæ sunt idem cum eodem indivisibili tertio &c. Confirmatur. Intellectus creatus vi illius principii non minus obrueretur ad assentiendum, quàm in aliis rebus obruatur ad assentiendum erroneè ex apparentia evidenti, quamquàm sit ulla apparentia, quæ ducat ad falsitatem; ergo &c. Ex dictis

16. Fit 1. Intellectum creatum solis naturæ viribus ductum absque ipsius captivitate posse attingere per modum fugæ Mysterium Incarnationis, ut defacto contingit, non quidem assentiendo, sed dissentiendo; ad eum modum, quo Hæreticus cognoscit Mysterium Trinitatis, dum illud impugnat. Cæterum hoc fortasse non est propriè cognoscere Mysterium; quia non est extrema conjungere, sed disjungere; sicut non cognoscimus propriè ens omnino incognoscibile, licet negando de illo disputemus. Fit 2. posse etiam intellectum creatum assentiri Incarnationis mysterio sive physicè, sive metaphysicè considerato, dummodo quis velit intellectum captivare: qua de causa locutus sum in assertionibus de intellectu absque ipsius captivitate, ut procedit præ-

fens controversia. Ratio est; quia si quis ex motivis re ipsa falsis, & duntaxat veris appareat, aut quæ cum non sint luperna, existimantur superna, velit captivare intellectum, potest assentiri rebus alioquin incredibilibus; sic rusticus potest per actum naturalem credere Parocho dicenti revelatam esse à DEO quartam personam Trinitatis, vel illius existentiam probatam esse ab homine habente scientiam infusam, quod etiam posset, si erroneè crederet nulla extrema realiter periculi, aut deteriorari per substantialem unionem in unitatem Personæ; verum iste non esset assensus Mysterii, de quo agimus, quod valde notandum est ad evitandas æquivocationes, & intelligendam præsentem controversiam, quæ procedit juxta naturæ principia, expensa ab intellectu creato solis viribus suis relicto ad cognoscendum ex illis Mysterium Incarnationis, antequam fiat; de cognoscibilitate enim post Mysterium patratum agemus à num. 36.

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam assertionem: evidens est, posse DEUM efficere id, in quo non apparet manifesta implicatio; atqui non apparet in Mysterio Incarnationis; ergo evidens est, DEUM posse operari Mysterium Incarnationis. Confirmatur. Divina Omnipotentia cognoscitur naturaliter; ergo ex illa potest intellectus creatus, vel evidenter, vel saltem probabiliter positivè inferre possibilitatem hujus mysterii. Respondeo distinguo maj. in quo non apparet manifesta implicatio evidenter positivè, conc. maj. negativè tantum, nego, & distincta pariter min. nego consequentiam. Ratio est, quia solis naturæ viribus non potest intellectus creatus ita solvere argumenta opposita contra hoc mysterium, ut convincatur falsum assumere, aut malè inferre; hoc enim deberet fieri per principia contraria, quibus constaret mysterium esse possibile; hæc autem nulla sunt, nedum ad ostendendum evidenter, ea argumenta esse falsa, verum neque ad id ostendendum probabiliter positivè, ut constat à num. 9. Unde duntaxat solvi possunt negativè negando principia, quæ probari non possunt, quod falsum est, ut non concludant, nec sint demonstrationes, ex quo generari potest suspicio tantum, non verò probabilitas de mysterio, ut diximus à num. 10.

Ad Confirmationem distinguo antec. cognoscitur naturaliter quoad an est, conc. quoad quomodo est, nego ant. & consequentiam. Unde naturaliter cognoscimus omnipotentiam in ordine ad se, & ad effectus, qui apud nos repugnantiam non includunt, non verò in ordi-

In ordine ad potentiam obedientialem, & effectus supernaturales, pro quorum possibilitate nullum est quoad nos medium in natura; sicut enim evidenter cognoscimus continuum in ordine ad se, sive quoad an est: habemus enim evidentiam, quod continuum existat; non tamen cognoscimus evidenter quoad quomodo est, ut nos habeamus medium quoad nos in natura ad cognoscendum evidenter, illud constare solis partibus indivisibilibus; aut solis partibus proportionalibus; aut quovis alio à Philosophis excogitato constitutivo. Quare; cum nullum sit medium quoad nos in natura; aut evidenter possit, aut probabiliter evincens omnipotentiam continere virtutem operativam Mysterii Incarnationis ex naturali nostra cognitione omnipotentiae, perperam inferatur naturalis cognitio de evidentia; aut positiva probabilitate hujus Mysterii. Aliud argumentum, quod hic fieri potuerat, facilius dissolvemus num. 50.

19. Obijcies 2. contra secundam assertionem: solutionibus argumentorum probatur positive possibilitas aliarum rerum: ergo etiam possibilitas Mysterii Incarnationis. Respondet dist. antec. solutionibus sufficientibus ad probandum positive, in argumentis falsum assumi, conc. sufficientibus ad augendam evidentiam de opposito, nego ant. & consequentiam. Ratio est, quia ut constat ex dictis num. 17. & opportunè notavit Exim. Doctor disp. 3. sect. 1. ex hujusmodi argumentorum solutione non potest inferri, Incarnationem esse possibilem; sed solum per id non demonstrari, vel saltem ignorari, quod suspensionem tantum generare potest, ex quo non fit, re ipsa non repugnat; siquidem non quidquid impossibile est, evidenter est impossibile.

20. Obijcies 3. contra tertiam assertionem: Unio hypostatica est Ens supernaturale; atqui Ens supernaturale non potest à nobis solis naturae viribus cognosci; ergo Unio hypostatica, ac proinde Mysterium Incarnationis non potest naturaliter cognosci; ideoque neque per naturalem suspensionem à nobis cognosci. Confirmatur 1. Si possemus habere naturalem suspensionem de Mysterio Incarnationis, non rectè diceretur: *Adinventio Dei, novum* (per antonomasiam) *magnamque Dei consilium*; sed ita appellatur in Sacris Litteris: *Haías 2. notus factus in populo ad inventiones*: *Jeremias 21. novum fecit Dominus super terram*: & *Isaías 9. ubi ait illa verba: vocabitur nomen ejus admirabilis consiliarius*. Sed septuaginta Interpretes ita habent, *magni consilii Angelus*; & quidem per magnum consilium intelligunt Incarnationem, Tertullianus Tom. de Carne Christi, Athanasius lib. de Beatitudine, Justin. Apologia; Hilarius de Trinitate lib. 4. pro quibus videri possunt Leo de Castro, Gallerius lib. 3. cap. 19. ergo &c. Confirmatur 2. aliqua opera sunt DEO possible, quae venire in suspensionem non possunt intel-

lectui creato solis viribus suis relicto: sicut enim Artífex humanus, qui arte, & ingenio factus valeat machinas tanti artificii fabricare, ut nullo modo venire possit in suspensionem aliquid rustici, & imperiti hominis; quanto minus venire poterunt in suspensionem intellectus creati, quae sunt nova, & mirabilia inter omnia opera DEI; sed tale est Mysterium Incarnationis, ut ex adductis testimoniis constat; ergo &c.

Respondet conc. maj. dist. min. non potest solis naturae viribus à nobis cognosci per cognitionem cum Ente supernaturali connexam, conc. per cognitionem inconexam, neg. min. & consequentiam; quia licet cognitio naturalis connexa cum existentia Entis superni sit indubitata nobis, nostrasque naturales vires superet, sicut Ens supernum est nobis indebitum, superatque nostras vires; at cognitio naturalis de Ente superno cum illo inconnexa ex nullo capite repugnat: talis autem esset suspicio naturalis de Mysterio Incarnationis. Ad primam Confirmationem nego maj. quia cum naturalis suspicio nullam profus habeat connexionem cum Incarnationis Mysterio, nullatenus inferri possit illius possibilitatem; unde quando ex revelatione, ad inventionem; & consilio Dei de illius possibilitate certi sumus, quam optime certi sumus de re quoad nos per antonomasiam *novum*, imò de hoc Mysterio, ut defacto contingit, nullam potuerimus habere suspensionem naturalem, ut constat à num. 14. exinde in hoc sensu, & novum quoad nos, & novissimum appellari potest. Ad Confirmationem dist. maj. si intellectus creatus non habeat species sufficientes ad combinationem, conc. si habeat, nego maj. & dist. min. tale est Mysterium Incarnationis individualiter, & ut defacto contingit, cont. metaphysicè sumptum, nego min. & consequentiam, ut constat à num. 16.

Obijcies 4. contra quartam assertionem: si humanitas uniretur hypostaticè Verbo Divino, esset violenta, utpote carens propria subsistentia, quam moraliter exigit; atqui metaphysicè implicat, unita Verbo Divino quoddam rationis unionis patiatur violentiam; aliter pateretur violentiam per totam aeternitatem, quod absurdum est; ergo repugnat metaphysicè, quod humanitas uniretur hypostaticè Verbo Divino. Respondet cum Exim. Doctore disp. 8. sect. 3. nego maj. quia humanitas tantum exigit appetitu innato propriam subsistentiam, quando non uniretur subsistentiae nobiliori perficienti humanitatem, non minus, quam illam perficeret subsistentia propria; unde appetitus innatus ad propriam subsistentiam non est pro casu, pro quo defectus propriae subsistentiae compensetur humanitati per subsistentiam nobiliorem continentem virtualiter totam propriam subsistentiae perfectionem, multoque majorem.

Denominatio enim appetitus innati metaphysica

physica est, & desumpta ex appetitu elicito rectè instituto, & ordinato; appetitus autem elicitus rectè ordinatus non desiderat perfectionem inferiorem, quando loco illius habet altiorem, & utramque simul habere non potest: cumque humanitas Christi Domini unita hypostaticè Verbo Divino acquirat altiorem perfectionem, in qua subsistit, & à qua magis perficitur, quàm à propria subsistentia, non exigit pro eo statu propriam ipsius subsistentiam; sic Beati retinent beatitudinem supernaturalem, & non patiuntur violentiam, licet sint privati naturali beatitudine, ut diximus in Tractatu de Beatitudine à num. 67. Quamobrem, licet humanitas non exigit vagè, vel indeterminatè subsistentiam propriam, vel subsistentiam Verbi, cum appetitus vagus solùm tendat ad rem debitam sub his, vel illis circumstantiis, & non ad compensativum supernaturale indebitum; at cum eo supernaturali compensativo natura quiescit manet; nec pro eo casu exigit innatè subsistentiam propriam naturalem, quam alioquin appeteret. De reliquis; quæ attinent ad naturam, & subsistentiam; agemus infra suo loco.

24. Objicies 5. Si DEUS uniretur hypostaticè humanitati, mutaretur; atqui DEUS non potest mutari; ergo neque potest uniri hypostaticè humanitati. P. M. Rem mutari, est habere intrinsicè aliquid, quod antea non habebat; atqui, si Deus uniretur hypostaticè humanitati, haberet intrinsicè unionem, quam antea non habebat; ergo &c. Confirmatur. DEUS esset homo, quod antea non erat; sed esse, quod antea non erat, est mutari; ergo &c. Responderi Gonetius disp. 2. num. 24. Verbum non mutari; quia cum non uniatur humanitati per unionem distinctam, non est subjectum, sed purus terminus humanitatis. Hæc responsio nititur falsò supposito, scilicet, quòd unio hypostatica non distinguatur realiter à Verbo, & humanitate; est enim modus substantialis distinctus realiter ab extremis, ut infra constabit. Rursus contra 1. Si Verbum de novo intelligeret, per intellectionem creatam mutaretur, ut ait Gonetius eadem disp. num. 22. atqui juxta principia Adversarii non uniretur per unionem distinctam; ergo quòd Verbum non uniatur humanitati per unionem distinctam, non sufficit ad impediendam mutationem. Contra 2. Subsistentia creata, ut fateretur Gonetius disp. 6. num. 45. uniretur naturæ creatæ absque unionem distincta; atqui natura creata, ut Adversarius ipse fateretur, si subsistentia adveniret illi de novo, mutaretur: ergo &c.
25. Respondeo cum Eximio Doctore disp. 8. num. 6. Valentia disp. 1. cap. 1. punct. 2. & communi Nostrorum sententia, nego maj. ad probationem dist. maj. est habere intrinsicè aliquid, quod antea non habebat, eo modo, quo nempe melioreretur, vel deterioretur,

conc. quo nec melioreretur, nec deterioretur, nego maj. & distincta pariter min. nego consequentiam. Ad Confirmationem dist. maj. DEUS esset homo per meliorationem, vel per deteriorationem sui, nego, sine melioratione, vel deterioratione sui, conc. maj. & distincta minori, nego consequentiam. Ratio horum est, quia si mutatio confundatur cum motu, est transitus rei à privatione ad formam; cum autem res illa, vel subjectum per formam deterioreretur, vel melioreretur, ideo ea omnia, in quibus reperitur, vel reperiri potest mutatio, vel meliorantur, vel deteriorantur per mutationem; sic materia prima melioratur per formam rationalem, & deterioratur per illius amissionem; idem est in pariete respectu albedinis, & in causa respectu suarum proprietatum; atqui sic evidenter apparet, quòd Deus per Incarnationem non mutetur.

Deus enim, ut luminè naturæ constat, non esset DEUS, si non esset summè perfectus, & haberet quamcunque excogitabilem perfectionem, & excluderet à se omnem imperfectionem; idcirco actus divini liberi, & contingentes, eò quòd si non haberent perfectionem existendi ab æterno, & in æternum, non haberent omnem perfectionem possibilem in sua linea, eo ipso non essent divini, neque possent cum DEO identificari, ut dixi in Tractatu de Deo num. 84. Unde cum unio hypostatica in Deo inveniat omnem possibilem perfectionem intrinsicam, sine imperfectione, idè què inveniat repugnantia cum omni imperfectione; exinde Verbum Divinum per illam unionem nequit meliorari, aut deteriorari, proindeque mutari non potest.

Quamobrem Unio hypostatica non potest dici intrinsicè Verbo eo modo, quo forma dicitur intrinsicè subjecto; quia ut bene notavit Eximius Doctor loco supra citato, forma est intrinsicè intrinsicè perfecte subsistit, & constituitur ejus naturam in ratione naturæ; nec dici potest extrinsicè respectu Verbi; quia reverà ea denominatio est quædam natura intimè, & substantialitèr Verbo conjuncta; idè què est veluti media inter extrinsicè naturæ, & intrinsicè formæ: nam quia est à natura realitèr distincta, videtur extrinsicè; quia verò est à natura intimè conjuncta, videtur intrinsicè; & ita potius est appellanda, idè què est intrinsicè media inter denominationem extrinsicam, & intrinsicam formæ.

Objicies 5. Si Deus uniretur intrinsicè humanitati modo citato, esset causa materialis Unionis hypostaticæ; causa formalis humanitatis, & pars hujus compositi Christus; sed hoc Deo repugnat: ergo &c. Contra mat. DEUS infinite distat ab humanitate; ergo nequit intrinsicè uniri humanitati. Respondeo nego maj. quia Deus non esset causa materialis unionis; siquidem unio educeretur duntaxat dependenter ab humanitate,

quæ perfectibilis est; subjectum etenim educationis reverà est perfectibile: DEUS autem perfectibilis non est, ut supra diximus; unde nequit esse causa materialis humanitatis, forma etiam, sive causa formalis ex intrinsecis suis est imperfecta, & perfectibilis: Verbum autem Divinum non esset extremum incompletum, neque capax, ut perficeretur, vel deterioraretur, ideòque neque esset causa formalis humanitatis, neque pars hujus compositi Christus; siquidem pars, quatenus pars, est essentialiter incompleta, potest perfici, vel deteriorari.

29. Quin potius forma rigorosè sumpta, si substantialis sit, est de physico constitutivo naturæ in ratione naturæ, quam constituit cum altera parte, etque simul principium perfectibile operationum compositi; sicut forma vegetativa est principium vegetationis; sensitiva sensationis; & intellectiva intellectio- nis; quæ prædicata, cum non conveniant modis, sufficiunt, ut distinguamus modos à formis. Unde cum multò magis conveniant Verbo respectu humanitatis, multò magis sufficiunt, ut cognoscamus, Verbum non esse formam humanitatis. Si autem forma sit accidentalis, naturam suam ordinatur ad perficiendum aliquod subjectum, cum quo postulat uniri, ut existat modo suæ naturæ accommodato. Verbum autem non exigit uniri humanitati, ut existat modo accommodato suæ naturæ divinæ, ideòque neque est forma substantialis, neque accidentalis humanitatis, sed est purus terminus sibi in se assumens humanitatem, substantialiter eam perficiendo, & sustentando.

30. Ad Confirmationem dist. ant. in fine dist. stat enitativè, conc. univè, nego antec. & consequentiam; nam licet non sit inter Verbum, & humanitatem proportio naturalis, est tamen proportio obediens, seu non repugnans; nam in verbo reperitur ratio subsistentiæ, & in humanitate capacitas naturæ, ideòque est major proportio inter hæc extrema ad componendum unum per se, quam inter subsistentiam, & qualitatem, quia licet in perfectione magis distent, tamen in ratione subsistentiæ ex parte humanitatis perfectibilis, & ex parte Verbi potentis perficere majorem habent convenientiam; unde multò magis conveniunt in ordine ad unionem substantialem.

31. Objicies 7. Ipsamet realis distinctio Verbi, & humanitatis videtur repugnare compositioni ex natura, & subsistentia: ergo non potest Verbum Divinum uniri hypostaticè humanitati. Probatur ant. Compositio ex natura, & subsistentia consurgit ex re, & modo; atqui Verbum Divinum, cum modus non sit humanitatis, supplere non potest defectum modi; ut inductione constat: etenim quia figura est modus quantitatis, non potest haberi, neque figurari quantitas per realitatem dis-

tinctam, id est absque modo; & idem est de sessione respectu sedentis, & de similibus: ergo &c. Respondeo nego antec. ad probationem dist. maj. consurgit ex re, & modo, quando non subsistit propriè, sed aliud subsistit in illa, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Ratio est, quia humanitas hypostaticè unita Verbo Divino non est id, quod propriè subsistit, cum non listat in se, sed in Verbo, ideòque Verbum propriè in illa subsistit; unde ad summum eminenter dicitur humanitas subsistere in Verbo, quatenus illius subsistentia terminatur, & quasi sustentatur, & in hoc sensu dicitur communiter à Theologis Verbi subsistentiam supplevisse defectum propriæ subsistentiæ humanitatis. Cæterum cum hoc supplementum non sit ad hoc, ut humanitas verè subsistat, non debet esse modus, ad quem attrinet facere, ut humanitas in se verè, & propriè subsistat. Verum de his infra, cum de subsistentia agendum erit.

Objicies 8. Nequit moveri unio de loco ad locum, quin moveantur extrema unionis: sed quando Unio hypostatica moveretur, non posset moveri DEUS, utpote immensus; ergo implicatoria est illa unio inter DEUM, & humanitatem. Confirmatur 1. Nequit unio unire unum extremum, & postea aliud: sed virtualitas, qua Deus correspondet loco A, non est virtualitas, qua correspondet loco B: ergo quando moveretur unio ex loco A ad locum B, moveretur etiam illa virtualitas. Confirmatur 2. Nequit cognitio intuitiva in primo instanti representare locationem Dei in loco A sine locatione Dei in loco B; & in secundo instanti representare locationem in loco B sine locatione Dei in loco A: ergo nequit unio nunc unire Deum in loco A, & postea unire illum cum humanitate in loco B. Hoc argumentum nullam habet vim, si cum pluribus Theologis admittamus unionem distinctas ad diversos morus locales Christi Domini. Cæterum alia est facilis solutio. Quare

Respondeo dist. maj. si extrema non sint in loco, ad quem fit motus, conc. si sint, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; quia cum DEUS sit ubique, potest ubique uniri, quin ipse moveatur, quantumvis moveatur unio, & humanitas, quæ ubique non sunt. Ad primam Confirmationem nego suppositum min. quia immensitas DEI est indivisibilis virtualitas, quæ non componitur ex prædicatis virtualiter distinctis; aliter enim illæ virtualitates essent prædicata Divina, & non essent in omni loco, & daretur aliquod prædicatum Divinum, quod non esset in omni loco, quod absurdum est. Quin potius unio non unitur immediatè alicui excogitæ virtualitati loci, sed subsistentiæ Divinæ, aut prædicato Divino, quæ in omni loco reperiuntur. Ad secundam Confirmationem

D d 3

nego

negō consequentiam; quia illa cognitio intuitiva repræsentat locum A, cūque locus A non sit locus B, variaret objecta, quod repugnat, cū cognitio sit essentialiter repræsentatio sui objecti; & non alterius, quod semel non repræsentat; at unio illa non unio locum A, sed Deum duntaxat cum humanitate, quæ cū idem sint in loco A, & in loco B, quin variet extrema, necesse illa eodem modo in loco A, & loco B.

34. Objicies 9. contra quintam assertionem: datur medium in natura, ex quo aliquo modo inferri possit, duo identificari cum eodem tertio, quin identificentur inter se: ergo principium illud: *qua sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*; non ita rapit intellectum solis naturæ viribus relictum, ut non possit habere aliquam suspicionem de Mysterio Incarnationis individualiter sumpto, ut defecto contigit. Probatum antec. Possunt in natura duo puncta continui uniri physicè, & realiter cum tertio, quin physicè, & realiter uniantur inter se: ergo intellectus creatus solis naturæ viribus relictus poterit exinde inferre, duo identificari cum uno tertio, quin identificentur inter se. Confirmatur. Materia; forma, & unio identificantur realiter cum Petro, sed distinguuntur realiter inter se: ergo intellectus creatus solis naturæ viribus relictus quàm optimè valet inferre, posse duo identificari realiter cum uno tertio, & distinguui realiter inter se. Qui sic arguunt, profectò, ni fallor, non satis penetrant rationem identitatis. Quare

35. Respondeo negō antec. ad probationem conc. ant. & negō consequentiam. Disparitas est, quia per unionem totum esse unius non fit totum esse alterius, ut fit per identitatem, ac proinde attentio præcisè naturæ luminis inter duo unitas potest convenire uni; quod non convenit alteri; idque naturaliter inferri potest; secus inter duo identificata. Ad Confirmationem dist. maj. identificatur quælibet ex his partibus cum Petro adæquatè sumpto, negō, inadæquatè accepto, conc. maj. & concessa min. negō consequentiam; quia materia identificatur solum cum materia Petri, & non cum forma; forma quoque solum identificatur cum forma Petri, & non cum materia, ac proinde neque identificatur cum eodem tertio, neque inter se; quod idem patet in natura universalis respectu inferiorum ab illis abstracta per modum aggregati præscindentiis à differentiis; nam quæ prædicatur, & reverà identificatur cum Petro, non est illa pars inclusa in universalis, quæ reverà identificatur cum Paulo: hæc enim perfectio identificandi sibi extrema realiter distincta, solum reperiri potest in DEO ob infinitum pelagus suæ perfectionis, ad quod inscrutabile Mysterium intellectus creatus, sive humanus, sive Angelicus solis naturæ viribus relictus non potest assurgere, licet id facile

possit credere ex verbo Dei nobis applicato tor signis evidentis credibilitatis nostræ Fidei, de quibus latè in Tractatu de Fide à n. 145. egimus. *Alia argumenta, quæ hic fieri possent, dissolvemus tota lect. 4. à num. 4.*

## S E C T I O III.

*De cognoscibilitate Mysterii jam facti.*

**M**ysterium Incarnationis jam existens dupliciter cognosci potest, nempe vel intuitivè, vel abstractivè. Intuitivè cognoscitur facialiter in se ipso; abstractivè vero cognoscitur inferendo illius existentiam ex cognitione alterius rei contextæ cum existentia Incarnationis: non posse creaturam solo lumine naturæ ductam cognoscere intuitivè Incarnationem, constans est omnium Theologorum sententia, cū nullum sit medium in natura ad hanc intuitivam cognitionem, ut constat ex dictis, & inferitur ex cap. 13. I. I. laicæ dicentis, *Generationem ejus quis enarrabitur?* quæ verba de temporalis etiam generatione intellexit S. Leo Papa Serm. 9. de Nativitate Domini dicens: *In Christo JESU Filio Dei non solum ad Divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dicitur est per Prophetam: generationem ejus quis enarrabitur?* unde præsens controversia duntaxat procedit de cognitione abstractivæ.

Scotus in 4. distinct. 10. quæst. 8. judicat, Angelum evidèntia naturali cognoscere Incarnationem jam factam, quia cognoscit humanitatem Christi carere propria subsistentia: ergo cognoscit subsistere per subsistentiam alienam; non creatam; quia cū omnia entia naturalia cognoscatur, cognosceret etiam illam creatam subsistentiam Divinam: ergo evidenter deducit, DEUM factum esse hominem, seu incarnatum esse. Medina verò quæst. 2. Præem. ad 6. tum argumentum omnia concedit usque ad ultimam consequentiam, quam negat; quia Anima Christi in triduo manit hypostaticè unita Verbo, & non erat Deus: ergo evidenter non inferitur, DEUM factum esse hominem. Cæterum reliquis concessis, ubi procedit quæstio, nimirum de constitutione entis per se ex humanitate, & subsistentia Verbi, negati non potest ultima consequentia; quia humanitas est totum adæquatum esse hominis: ergo unita DEO manebit per prædicationem in concreto, sive per communicationem idiomatum (ut ajunt Theologi) *Deus homo, & homo Deus.* Nec exemplum Animæ venit ad rem; cū Anima non sit adæquatum, sed inadæquatum esse hominis.

Idcirco communis sententia Theologorum docet i. hominem solo naturæ lumine ductum, nec evidenter, nec probabiliter posse abstractivè cognoscere Incarnationem jam factam, ut defecto contigit; quia nullum agnoscit meum alium